



CONGREGATIO DE CULTO DIVINO  
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

---

Prot. N.1139/11/L

Textum *latinum* et *italicum* formularii Missae peculiaris  
«Pro nova evangelizatione»

Probatum.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 17 mensis iunii  
2012.

(**✠** Iosephus Augustinus Di Noia, OP)  
Archiepiscopus a Secretis

**MISSA  
PRO NOVA EVANGELIZATIONE**

**ANT. AD INTROITUM****Cf. Ps 104, 3-4. 5**

Laudámini in nōmine sancto eius,  
lætétur cor quæréntium Dóminum.  
Quæríte Dóminum et poténtiam eius,  
mementóte mirabílium eius, quæ fecit.

**COLLECTA**

Deus, qui, virtúte Spíritus Sancti,  
Verbum tuum paupéribus evangelizáre misísti,  
fac nos, óculis in eum inténtis,  
in caritaté non ficta semper vívere,  
eius Evangélii præcónes ac testes  
in univérso mundo efféctos.  
Per Dóminum.

**LITURGIA VERBI****LECTIO PRIMA****Sir 34, 9-20**

*Oculi Domini super timentes eum.*  
Léctio libri Sirácidæ  
Vir, qui peregrinátus est, multa dídicit,  
et, qui multa expértus est, enarrábit sciénter.  
Qui non est expértus, pauca recognóscit,  
qui autem peregrinátus est, multíplicat astútiam.  
Multá vidi errándo  
et plúrima verba intelléxi;  
aliquóties usque ad mortem periclitátus sum  
et horum causa liberátus sum.  
Spíritus timéntium Dóminum vivet,  
et in respéctu illíus benedicétur.  
Spes enim illórum in salvántem illos,  
et óculi Dei in diligéntes se.  
Qui timet Dóminum, nihil trepidábit  
et non pavébit, quóniam ipse est spes eius.

Timéntis Dóminum beáta est áнима eius.  
 Ad quem respícit? Et quis est fortitúdo eius?  
 Óculi Dómini super timéntes eum:  
 protéctor poténtiæ, firmaméntum virtútis,  
 tégimen ardóris et umbráculum meridiáni,  
 custódia offensiónis et adiutórium casus,  
 exáltans ánimam et illúminans óculos,  
 dans sanitátem vitæ et benedictiónem.

Verbum Dómini.

**Vel:**

**Sir 42, 17-24**

*Gloria Domini plenum est opus eius.*

Léctio libri Sirácidae

Non valent sancti Dómini  
 enarráre ómnia mirabília eius.  
 Confirmávit Dóminus exércitus suos  
 stabilíri coram glória sua.  
 Abýssum et cor hóminum investigávit  
 et in astútia eórum excogitávit.  
 Cognóvit enim Dóminus omnem sciéntiam  
 et inspéxit in signum ævi  
 annúntians, quæ præteriérunt et quæ superventúra sunt,  
 et revélans vestígia occultórum.  
 Non præterit illum omnis cogitátus,  
 et non abscóndit se ab eo ullus sermo.  
 Magnália sapiéntiae suæ ordinávit,  
 únicus est ante sǽculum et usque in sǽculum;  
 neque augétur neque minúitur  
 et non eget alicuíus consílio.  
 Quam desiderabília ómnia ópera eius,  
 et tamquam scintílla spectátu!  
 Omnia hæc vivunt et manent in sǽculum,  
 et in omni necessitaté ómnia obáudiunt ei.

Verbum Dómini.

In tempore paschali:

Act 10, 34a. 36-43

*Nos testes sumus omnium, quæ Dominus fecit.*

Léctio Actuum Apostolórum

In diébus illis:

Apériens Petrus os dixit: «Verbum misit Deus fíliis Israel evan- gelízans pacem per Iesum Christum; hic est ómnium Dóminus. Vos scitis quod factum est verbum per univérsam Iudáeam incípi- ens a Galiléa post baptísmum, quod prædicávit Ioánnes: Iesum a Názareth, quómodo unxit eum Deus Spíritu Sancto et virtúte, qui pertransívit benefaciéndo et sanándo omnes oppréssos a Diábolo, quóniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus ómnium, quæ fecit in regióne Iudæórum et Ierúsalem; quem et occidérunt suspendéntes in ligno.

Hunc Deus suscitávit tértia die et dedit eum maniféstum fíeri non omni pópulo, sed téstibus præordinátis a Deo, nobis, qui manducávi- mus et bíbimus cum illo postquam resurréxit a mórtuis; et præcépit nobis prædicáre pópulo et testificári quia ipse est, qui constitútus est a Deo iudex vivórum et mortuórum.

Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent remissiónem pec- catórum accípere per nomen eius omnes, qui credunt in eum».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 21, 26-27a. 28ab. 30c. 31-32

℟. Narrábo nomen tuum frátribus meis.

Apud te laus mea in ecclésia magna;  
vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.  
Edent páuperes et saturabúntur;  
et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum. **℟.**

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum  
univérsi fines terræ.

Anima autem mea illi vivet,  
et semen meum sérviet ipsi. **℟.**

Narrábitur de Dómino generatióni ventúræ;  
et annuntiábunt iustítiam eius pópulo,

qui nascétur:

«Hæc fecit Dóminus!». **℟.**

## LECTIO SECUNDA

Eph 4, 23-32

*Renovamini spiritu mentis vestræ.*

Léctio Epístolæ béati Pauli apóstoli ad Ephésios

Fratres:

Renovámini spíritu mentis vestræ et indúite novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in iustítia et sanctitáte veritátis. Propter quod deponéntes mendácium loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo, quóniam sumus ínvicem membra. Irascímini et nólite peccáre; sol non óccidat super iracúndiam vestram, et nólite locum dare Diábolo. Qui furabátur, iam non furétur, magis autem labóret operándo máníbus bonum, ut hábeat unde tríbuat necessitátem pa-tiénti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procédat, sed si quis bonus ad ædificatióne opportunitátis, ut det grátiam audiéntibus. Et nólite contristáre Spíritum Sanctum Dei, in quo signáti estis in diem redemptiónis.

Omnis amaritúdo et ira et indignátio et clamor et blasphémia tollátur a vobis cum omni malítia. Estóte autem ínvicem benígni, misericórdes, donántes ínvicem, sicut et Deus in Christo donávit vobis.

Verbum Dómini.

Vel:

Col 3, 12-17

*Induite vos caritatem, quod est vinculum perfectionis.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses

Fratres:

Indúite vos ergo, sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, longanimitátem, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis, si quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos; super ómnia autem hæc: caritátem, quod est vínculum perfectiōnis.

Et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore. Et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánte, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cáanticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo; et omne, quodcúmque fáctis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Verbum Dómini.

In tempore paschali:

Hebr 10, 19-25

*Iesus Christus initiavit nobis viam novam et viventem.*

Léctio Epistolæ Hebráeos

Habéntes, fratres, fidúciam in intróitum Sanctórum in sanguine Iesu, quam initiávit nobis viam novam et vivéntem per velámen, id est carnem suam, et sacerdótem magnum super domum Dei, accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspérsi corda a consciéntia mala et ablúti corpus aqua munda; teneámus spei confessiónem indeclinábilem, fidélis enim est, qui repromísit; et considerémus ínvicem in provocatióne caritatis et bonórum óperum, non deseréntes congregatióne nostram, sicut est consuetúdinis quibúsdam, sed exhortántes, et tanto magis quanto vidétis appropinquántem diem.

Verbum Dómini.

ALLELUIA

Cf. Act 5, 42

℟. Allelúa.

Omni die in templo et circa domos apóstoli non cessábant docéntes et evangelizántes Christum, Iesum.

℟. Allelúa.

EVANGELIUM

Lc 4, 14-22a

*Spiritus Domini super me.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

In illo témpore:

Regréssus est Jesus in virtúte Spíritus in Galiléam. Et fama éxiit per univérsam régiónem de illo. Et ipse docébat in synagógis eórum et magnificabátur ab ómnibus.

Et venit Názareth, ubi erat nutrítus, et intrávit secúndum consuetúdinem suam die sábbati in synagógam et surréxit légere. Et tráditus est illi liber prophétæ Isaíæ; et ut revólvit librum, invénit locum, ubi scriptum erat:

«Spíritus Dómini super me; propter quod unxit me evangelizáre paupéribus, misit me prædicáre captívis remissióne et cæcis vi- sum, dimíttere confráctos in remissióne, prædicáre annum Dómini accéptum».

Et cum plicuísset librum, réddidit minístro et sedit; et ómnium in synagóga óculi erant intendéntes in eum.

Cœpit autem dícere ad illos: «Hódie impléta est hæc Scriptúra in áuribus vestris». Et omnes testimónium illi dabant et mirabántur in verbis grátiæ, quæ procedébant de ore ipsíus.

Verbum Dómini.

\*\*\*

#### SUPER OBLATA

Propítius, quásumus, Dómine, hæc dona sanctífica  
et obséquium humilitátis nostræ benígnus inténde  
ut córpora nostra hóstia vivens, sancta, tibi placens fiant  
et non ratióne véteris hóminis sed secúndum Spíritum tuum  
in novitáte vitæ nos fáciás servíre.

Per Christum.

#### ANT. AD COMMUNIONEM

Cf. Lc 4, 18-19

Spíritus Dómini super me,  
propter quod unxit me evangelizáre,  
prædicáre annum Dómini accéptum,  
et diem redemptiónis.

#### POST COMMUNIONEM

Fílii tui Córporis et Ságuinis prætiósi  
alimónia mente renovátis,  
da nobis, quásumus, Dómine,  
cor áliud et spíritum novum  
ut in novitáte vitæ perseveránter ambulémus.  
Per Christum.